

Nam dicunt fortuita esse: quæ uel nullas causas habent: uel nõ ex aliquo rationabili ordine uenientia: & ea fatalia quæ præter Dei & hominum uoluntatem cuiusdam ordinis necessitate uel uis positionis stellarum contingant. Cum ergo constet prorsus diuina prouidentia regna cõstitui humana: merito nec fortuita nec fatalia esse relinquuntur, præsertim si ex usitata loquendi cõsuetudine homines quando audiunt fatum: nõ nisi uim positionis siderum intelligant: qui quidem ab auribus hominum sunt repellendi. Illi uero qui per fatum intelligunt uim positionis siderum quodammodo decernentium qualisquisque sit & quid boni uel mali accidat sed ex Dei uoluntate pendere confirmant easdemq; stellas putant habere hæc potestatem traditam sibi ab illa summa potestate: ut uolentes ista decernant magnam celo iniuriam faciunt: in cuius ueluti clarissimo Senatu ac splendidißima curia opinantur scelera facienda decerni: quale deinde iudicium de hominum factis Deo relinquatur quibus celestis necessitas adhibetur cum dominus ille sit siderum & hominum. Aut si dicunt stellas accepta a summo Deo potestate non arbitrio suo ista decernere sed in talibus illius omnino iussa comple- re ita ne de ipso Deo sentiendum est quod indignissimum est de stellarum uoluntate sentire. Astro. Est ne aliud aduiciendum huic p̄rio. F. Imo nec mathematicos ut debent loqui concedunt & a philosophis accipere oportere sermonis regulam ad ea pronuntianda quæ in siderum positione se putant reperire cum dicunt mars homicidam facit & dicere debuerant mars sic potius homicidam significat cum non mediocriter doctorum hominum fuerit sententia stellas significare potius ista q̄ facere.

Astro. Ergo iã habeo quod stellæ aliquid significant. F. Id inq̄ omnes affirmant. Astro. Profecto ergo non parui pendendæ sunt stellarum uires. Sed earum cognitio scientibus multæ erit utilitatis: uis ne progredi ad ulteriora aut uis sigillatim responsa: sed age seriatim respõdeamus quo cognitu facilior sit disputatio. Causam magnitudinis Romani Imperii & cæterorum omnium liquido demonstratur deum esse: cum prima causa sit omnium æterna infinita in bonitate magnitudine potestate & sapientia amore & p̄fectiõ: & sic Deus trinus & unus erit merito colendus: quod p̄bo. F. ha, ha omitte hæc: credita, n. sunt.